

inter totam fibræ non contraria longitudinem A D, quod vel nuda figuræ inspectio doceat. Jam si in una fibra loco 4. harum vesicularum supponamus 4000. hæc elevabit idem pondus per idem spatium cum intumescentiâ quater millies minore &c. Id quod equidem experimentum nostrum, quatuor vesicarum in eadem serie mutuis osculis communicantibus interventu factum, sine demonstratione ad oculum ostendit, quando inflatae illæ ad eam altitudinem appensum pondus elevate, ad quantam idem non elevaret vesica unica, nisi longitudine adæquaret omnes illarum quatuor longitudes & consequenter etiam amplitudine ac distensione omnes illarum quatuor amplitudines ac distensiones.

X. Eset equidem quod isti ratiocinio *D. Croone* magna specie quis objiceret; nimirum, si fibra muscularis unica ex vesiculis 4000. composita quater millies minus intumescat, quam si esset una continua vesica, vicissim tamen esse certum, unicum musculum complecti hujusmodi fibras aut vesicularum series innumeræ: Perinde igitur integrum aliquem musculum, qui fibras contineat e. g. 4000. quæ singulæ quater millesimâ parte intumescentiæ gaudeant, habitum intumescentiam ex his quater mille compositam atque adeò eandem, ac si esset vesica unica loco musculi ex quater mille fibris compositi. Quid ad hoc dubium responsurus esset *Dn. Croone*, nunc equidem scire haut possumus. Nobis hæc præcipue videntur observanda: *primò*, in quolibet musculo contracto reverè occurrere sensibilem quandam intumescentiam; quæ, quod tanta tamen non sit, quantam præsens objectio exposcit, id *secundò* hinc partim accidere, quod muscularum longitudine eorundem crassitatem ut plurimum superet notabiliter, atque adeò frustrâ supponatur in objectione memorata, si fibra una constet vesiculis 4000. totidem esse statim fibras etiam in crassitie musculi admittendas; partim verò *tertiò* exinde pendere, quod fibrarum muscularium dispositio laxa satis sit (id quod muscularum nondum contra-